34-7-F-17

EPINICIVM

Mich. Abb. Capellarij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

34. 5. F. 10

Digitized by Google

Ad Præſtantiſſimum Virum

LIVIVM ODESCALCVM CERRI DVCEM, &c.

Epig.

Perlege, ſeruatus PATRVO quid debeat Orbis,
Quantaque ſit pariter gratia parta Tibi.
Temporibus nullis, nullis in gentibus Ille
Secerni poterat lectior, Ipſe dari.
Nulla tamen Vobis venient à ſoſpite Mundo
Præmia: tam grandis Numina cura manet.
Si ceſſent Superi; neuter penſatus abibit:
Iam meriti moles officit ipſa ſibi.
Poſterior credet tam, quod narrabitur, ætas,
Quàm, quæ non audijt, credidit anterior.

Digitized by Google

Michaelis Abb. Capellarij
EPINICIVM
SIVE
Carmen in Victoria aduerſus Turcas ad Viennam Auſtriæ.

LAurus, iò laurus! Nunc tempus fronde perenni
Deuotas vmbrare comas, tractuque virenti
Serpere; & hos Phœbo ſacros veſtire penates.
Laurus, iò laurus! Norunt en parcere Diui;
Et ſuperos terrena mouent. Hinc ite timores;
Ite graues curæ nigras quà Boſphorus vndas
Verſat, & alterno Thracas diſcerpite morſu.
Pulſus ab obſeſſa terrarum Prædo Vienna
Aut fugit; inuiſis moriens aut occubat aruis.
Sed, dum liuor edax plenamque incredula palmam
Turba negat; dic Muſa, Poli quæ ſedibus orta
Sidereo niueam religas diademate frontem
Vera né ſollicitas pertentant gaudia mentes?
Vicimus? Innumeris equidem Victoria linguis
Perſonat: at nuper tanto res noſtra periclo
Nutabat, dubios inopina trophæa querantur
Vt populos. Te, Diua, timor referente recedet
Omnis; & Auſtriacis olim qui detrahit armis,
Sidet; & Vraniæ, Liuor, non obſtrepet ori.
Incertos laxate ſinus; & gaudia totis,
Quantum animi, fibræque valent admittite velis.
Diſiecti fugere Scythæ; fugere rebelles
Pannones; atque auſus gens vtraque luget inanes.
Sume triumphalem lætiſſima Roma coronam;

Turrigerumque Caput cognata in ſidera conde.
En remeat ſors illa prior; Superique ſecundi
In tua manſurum conuectant Caſtra fauorem;
Nullaque Cœleſtum te vis non ornat, & auget.
Te vocat iſta dies; partem tibi fama triumphi
Præcipuam deſert; Tarpeiaque limina pulſat.
Et meritò; immani nam quis conſtantiùs Hoſti
Reſtitit, & Getici tenuit molimina monſtri
Fortiùs, Aethereo quàm qui tibi miſſus ab Axe
Temperat innocuo felicia ſecula ſceptro?
Repperit hìc enſes, hinc tela, & fulmina vindex
Sumpſit; & Aemonium contorſit in Agmina Virtus.
Hæſit ODESCALCHI, Fortuna coercita Lunæ
Ad niſus; trepidumque diu ſpatiata per orbem
Subſtitit: huic ſcopulo, toties impune vagata
Illiſit. Sic ira Noti quatit obuia ſyluæ
Robora, & effuſos ſpargit toto aere ramos;
Rupis at objectus fruſtra indignata retundit
Flabra; nec inſani quidquam nocet impetus oris.
An non, oblatas cùm moliretur habenas,
Par erat, vt Thracum penitus perfringeret arcus,
Qui puer, & teneris non dum ſatis altus ab annis,
Acribus hoc animis, & anhelà mente coquebat;
Fatalemque Scythis iam tunc conflabat Achillem?
Aetatis gradibus ſe vis prolata tetendit,
Et modò conſilio; modò re, cenſuque paterno
Biſtonios contra non deſtitit ire furores.
Quod ſi non aliò Iuuenem mens alta vocaſſet,
Delectuſque Poli, iam tum properaſſet ad haſtam;
Suſceptiſque ſemel nunquam ceſſaſſet ab armis.
Sed maiora dabant, & plus nocitura remotis
Cœlicolæ; ſacraſque auxit diſtantia vires.
Scilicet impoſitus mundo, juſſuſque Tonantis
In terris perferre vices, quid prouidus vnquam
Liquit inexpertum, Regum quò corda coirent
Fœdus in æternum; laudandaque bella placerent?

Nec

Digitized by Google

Nec procul illa Dies: ſed, dum pars multa moratur,
Impulit, Imperij cui credita ſumma ſub Arcto:
Sauromatùmque Ducem, dextras, animoſque paratos
Iungere; & inſtanti caput objectare procellæ:
Ante tamen ſocios tanta in certamina Diuos
Fletibus aſſiduis, & larga traxit acerra.
Sed iuuat infracti per caſus retrò vagari
Hoſtis; & hæc ſeros non ignorare Nepotes.
Rex ſtygis, aſtrifero pugnà detruſus ab axe,
Nulla reſumendi, cùm iam ſuper æthera belli
Spes foret; in terris non deſtitit improbus arma
Sumere, & addictas Cœlo conuellere gentes,
Cultoreſque pios, nomenque auferre Tonanti;
Hàc ſaltem magnæ clades, & vulnera pugnæ,
Atque interdicti ſedes vlturus Olympi.
Sed quo præcipuè tantus procederet auſus,
Turca fuit, Scythici quondam trux accola ponti,
Caſpia mox denſis egreſſus clauſtra cateruis
Tergemini latè prædator plurimus Orbis;
Et ſua Tartareum pro ſtemmate Cornua monſtrum
Cui daret, & ſocium diros optaret in actus.
Hoc igitur Superis auertere Thura miniſtro
Fiſus, ab innumeris ejecit Numina templis;
Et ſibi pollutas temerarius abſtulit aras.
Nec ſatiatus adhuc; ſceleratæ extendere curſus
Gentis; & in cunctas ſibi ius depoſcere terras
Perſtat; & erepto ſuperos diſcludere mundo.
Sed videt Italiam tumidi conatibus Orci
Obſtare; immanem, nec poſſe abſoluere molem
Hac ſtante, & magnæ iuſſis parente Tiaræ.
At labor hìc ingens, atque alea plena pericli,
Et ſpes immenſo vix ſucceſſura cruore:
Nam latus ingreſſum tentantibus obijcit altis
Mœnibus, atque animis, tituliſque effulta Vienna,
Non ſemel Aemonij niſus fruſtrata Tyranni.
Digna ſed extremo prorſus diſcrimine merces;

Digitized by Google

Victori ſiquidem procumberet inclyta mundi
Roma Caput, Fidei ſecum tractura Ruinam
Inuiſæ; & Terram penitus ceſſura Barathro.
Saucius hac curâ tacitis funeſta parabat
Arma dolis, aliò ſimulans ſpectare labores
Belligeros; verumque nefas ſub corde tegebat.
Ac, prius inſidijs Germanæ in viſcera gentis
Conaturus iter, nigrâ de ſede Megęram
Miſit, vt inficeret furiali corda veneno
Cognata; & latè ſtygijs præluderet armis.
Impulit optantem paruoque in tempore Voti
Facta potens, auidi ſuperauit iuſsa parentis
Peſtis. In alternas ibat Germania cædes
Fędatura manus monſtro lymphata latenti.
Sed, qui diducto traxerunt altius ore
Virus, & in medias ſpumam duxere medullas
Cerbeream, primi rumpebant fræna rebelles
Cæſaris; & ſacros nudabant Pannones enſes.
Quippe animis olim Gens inſtigata ſiniſtris
Non expectatâ furias concepit Erynni:
Deque tribus iuſto Ceruicibus enſe reciſis
Prodierat tam multa ſeges fœcunda veneni,
Inque diem nocitura magis; compleuerit angue
Parciùs vt Libyen Caput exitiale Meduſæ,
Docta per attonitas quod fabula vexerat auras.
Eumenis in populos ſic graſsabatur amicos
Non intellecto depaſcens viſcera morſu;
Obruerant cæcas tam dira obliuia mentes.
Sed neque ſinceris, & quos vicinus habebat
Sollicitos belli nimbus minus apta dediſse
Tempora maturo poterat fortuna periclo.
Spectabant aliò LEOPOLDI ſigna; ſatiſque
Vixerat internis partita Potentia curis.
At procul, Iſmarios nuper perpeſsa furores,
Sarmata vix primum ſiccarant regna cruorem.
Atque inteſtinos voluebant turbida motus.

Ergo

Ergo moræ impatiens dudum collecta citauit
Agmina; & immenſà mandauit mole Viennam
Pluto premi, & curſus ordiri in Regna Quirini.
Prouidus & mentem ni præſenſiſſet opertam
Ditis ODESCALCHVS; ſeque objeciſſet Auerno,
Impia ſucceſsus habuiſsent vota ſecundos.
Ille, laboriferi cùm primùm pondera ſceptri
Admiſit, iuſſoſque humeros aptauit Olympo,
Mente vigil tensà dubij conamina Thracis
Menſus, ab infido viſus non abſtulit hoſte;
Suſpectoſque ſinus penetrauit lumine certo.
Nec latuere doli. Reges hinc ciuit amicos
Primus, & occultas vetuit procedere fraudes.
Non minus hæc inter, Quibus eſt cuſtodia ſceptri
Auſtriaci, & ſceptri cuſtodia fulta Poloni,
Perculerat Genios facies horrenda paratus
Creſcentis; Peſtemque ambo prendère latentem.
Ilicet erectis ad prouida ciuibus arma,
Auxilium rebus quæſitum certius ægris
Patria ſollicito penetrarunt aſtra volatu.
Obuius his Michael, cuius vibrata lacertis
Tela vel in medijs horreſcit Pluto tenebris,
Vlteriuſque fugit latèque, exercitus omnis
Aligerùm, niueam circumfudère coronam
Fratribus, & mœſtà legere in fronte timores;
(Nam penitus puris ipſa eſt facundia viſus)
Perque pares oculos nubes non læta cucurrit.
Nec mora; nutantem conuexa per alta canebat
Fama Fidem; totamque Poli conciuerat aulam.
Ergo iter ad magni ſolium celerare Parentis
Inſtituunt; primæque placet mandare Tiaræ
Communes gemitus, & Cœli ſupplicis orſa.
Nempe Gregis propiùs, quem ſpectet cura redempti,
Ipſe ſuum Natus quàm cui commiſit Ouile?
Ille, vbi ſidereæ conſcendit ad oſcula plantæ,
Quam ſubter Fortuna iacet, Fatumque; ſed aſtat

La-

Digitized by Google

Labile nec Tempus, nec iam Natura Creatrix;
Mœrenti propior ſic os in verba reſoluit.
O Decus, ò Mundi Princeps, & ſola Poteſtas,
Si cruor humanus potis eſt extinguere iuſtas
Irarum flammas, & noxas vbere venà
Eluere impuras; ſpargi per vulnera mille
Primus ego ante alios, iterumque in membra reuerti
Poſco, nec vnius rabiem ſatiare Neronis.
At, circumfuſis quis de tot millibus vnus,
Seu puer, à gremio ſeu Virgo auulſa parentis,
(Hos quoque nam proprio quæſita in ſanguine veſtit
Purpura; & ad palmas ſe ſe erexere beatas)
Cui non dulce Tibi ſedes reſerare repoſtas
Corporis; atque iterum ſæuos efferre per enſes,
Humet in abſtruſis quidquid vitale latebris?
Egimus hoc olim; nec viſa eſt dulcior vnquam
Vita, receſſuræ quàm cùm fecere Tyranni
Te laudante viam. Certi quid pignus amoris
Poſſe dare infirmos, Cœlumque rependere terra?
Sed liceat dixiſſe, Pater, non vltima feſſos
Gaudia mulcebant, noſtro de ſanguine vires
Ducere, & aſſertam per apertas ſumere gentes
Incrementa Fidem; Ditique auertere prædas.
At nunc, quos agitant Erebi ſi regna, ſequantur
Euentus, quò pulſa Fides, turbataque cedet
Relligio? Sors vna trahet rectumque piumque,
Vnaque cum populis inuoluet templa ruina.
Ah iuuet æterni pretium meruiſse cruoris;
Aequæuumque Patri Natum de ſedibus iſtis.
Subſtitit hìc; magni ſpecies ſeu dira pericli
Verba recuſabat; vires ſiuè hauſerat omnes
Maieſtatis honos; ſeù ſe facundia prudens
Fregit; & vlteriùs decuit timuiſſe precari.
Tunc Pater Omnipotens vultu, quo pellit Olympo
Nubila, & elatas in ſidera porrigit vndas,
Hæc dedit; & longè tenuerunt murmura venti.

Exu-

Exulet ò Fidi, quamuis ſit noſtra voluptas,
Iſte metus; veſtriſque animis pax alta perennet.
Nulla Fidem noſtri firmatam pignore Nati
Secula, non vlli poterunt conuellere caſus,
Regnorumve vices, nec quidquid cogit Auernus
Armorum, fraudumque ſimul ſanciuimus iſta
Sat ſemel: hæc plenas tenuit ſententia vires;
Hoc ſedet. At populos iam tandem plectere ſontes,
Ius, & tempus erat; ſed pars ſincera tuetur
Infectam; faciliſque graues amor impedit iras.
Pro tamen immeritis nil intercedit, & igni
Fortiùs objcitur iuſto, pœnaſque coercet,
Quàm quòd ODESCALCHVS, Cœli cui iura, viceſque
Credidimus noſtras; perituros nocte, dieque
Me rogat, & lapſis impendi gentibus orat:
Innocuum, meritumque Caput; cui noſtra remitti
Ira velit, terraſque vni donare nocentes.
Ceſſimus. Illius iam per veſtigia Roma
Tenditur: Effuſæ ſe collegere; ſceluſque
Damnarunt Gentes; longumque odere furorem.
Hæc illis metuenda lues: hìc Turca; recedat
Crimen; & in vacuis Orcus iacet irritus vmbris.
Sic erit. Intere àpartes fiducia tendat
Plenius aduerſas; hoſtiſque tumeſcat vterque.
Ignorent caſus diſcrimina vera propinqui;
Eluſoſque oculos nubes offuſa moretur.
Vos habeat tranquilla quies. Stat frangere gentes
Gentibus infidas fidis; Cœlumque tenere.
Hauſit ODESCALCHVS noſtro de Numine, quantum
Sufficiat trepidis in tanta pericula rebus.
Cùm tamen inſtantis diſcriminis appetet hora;
Ibimus: Ipſe adero ſpecie referente Columbam
Ante acies, certi Manceps, auctorque triumphi.
Hæc Pater: Effuſi vicina in gaudia voces
Excepere Chori; finemque habuere timores.
Barbarus intereà, commiſſæ Pannone Ripæ

De-

Deſtituente latus, volucri ſe fuderat aruis
Diluuio, & latè trepidantem obſederat Vrbem.
Neue reuerſuris vicini tranſitus Iſtri
Proderet acceſſus, diſiectis pontibus vndas
Abſtulerat; ripaſque omnes cuſtode tenebat:
Illa malo ancipiti poterat vix obice portas
Firmare, & ſubitâ muros vallare coronâ.
Nam prius emiſſis campi in certamina ſignis,
Rara laborantes cuſtodia ſepſerat arces:
Sed neque viſceribus tectum diſcluſerat hoſtem.
At ſacer in trepidi quid non diſcrimine caſus
Mouit ODESCALCHVS partes diuiſus in omnes?
Ille, ſibi intactum quod præcollegerat aurum,
Protulit, & belli certos ſuggeſſit in vſus.
Ille animos Lotharinge tibi ſuffecit; & altum
Inſpirans Atauum, ſimiles formauit in actus.
Ille etiam clauſis ſeſe ſubducere muris
Impulit AVGVSTVM; ſparſas quò cogere vires
Poſſet; & immenſas auctus compeſcere turmas.
Mollia ſic olim refugus conuertere colla
Norat, & in medijs reflectere curſibus alas
Parthus, & attonitos perrumpere fortiùs hoſtes.
Proſpera diſceſſus, inſpiratumque probarunt
Prælia conſilium. LEOPOLDO bella timeri
Iactabant Thraces; nec ſat fidiſſe Viennæ
Mœnibus: Ille aderat collectis viribus acres
Inſtigans animos, pugnæque accinctus apertæ.
Sed quid in Odryſios iam vallo, atque aggere ſeptos,
Hactenus intactos? Equidem congreſſa furori
Se tenuit Virtus; & propugnacula mille
Extulit; ac Patriæ, quicquid debebat, & Aſtris,
Perſoluit; nomen ſed iam pro luce paciſci
Reſtabat miſeris, animaſque impendere famæ.
Omnia iam pridem clauſi commercia Ciues
Perdiderant; penitus iam conclamata iacebat
Auſtria; captiuis Iſter iam fluctibus ibat
Ad

Ad mare, vix auſus vetitis accedere muris.
Deſuper innumerum nutantia mœnia fulmen
Soluerat; at ſubter per hiantis viſcera terræ
Proruerat turres flamma eluctata minantes.
Proditor interius nocturnos ſparſerat ignes;
Pollueratque illas, has interceperat vndas.
Quid ſparſæ vires, nimiumque repoſta ſub Arcto
Sarmatia; & multis non ſat par cura periclo;
Difficileſque aditus, infidaque regna propinqui
Pannonis; & totos depaſta incendia Campos?
Ecce aliæ clades, & belli plurima clauſi
Auctio; Relliquias non dum dedocta priores
Inde lues, longus quos Mars non fregerat artus,
Soluebat: defecta, Fames, hinc viſcera morſu
Carpebat rabido; fœdaſque vrgebat in eſcas.
Hoc res ſumma loco; poteratque effundere muros
Turca fatiſcentes; ſed, cùm ſenſiſſet Auernus
Cæſaris auxilium feſſis properare cohortes,
Sarmaticumque Ducem; caſuræ diſtulit Vrbi
Iniectare manum, potiturus mœnibus, hoſtis
Ante oculos; quanto nam vulnera noſtra pudore
Augeret; quantumque ſuis decus adderet armis?
Sed iam tempus erat malè proſpera fata referri
In melius. Tacitum non intellecta ſuorum
Nexuerat Numen rapidis talaria plantis,
Concitaque inuiſis admouerat agmina caſtris.
Ergo aderant; mediumque ſolum, Fluuiumque ſecantem
Emenſi inſtructo tenuerunt agmine colles
Hoſtibus inſtantes; vnde Vrbs obſeſſa videndam
Se dabat aduerſis: inimicaque ſigna patebant.
Aureus è ſummi fulgebat culmine Cœli
Phœbus; & incuſſo galeis ardentibus Orbe
Diſperſit radios, Campumque incendit, & Vrbem.
Inſequitur clamor, lateque è vallibus Echo
Ingeminat plauſus; percuſſoſque attonat agros.
Conuertere oculos, & reſpondère viciſſim

Digitized by Google

Vocibus Vrbs lætis, fremitu ſed Turca profundo.
Ille hoſtem propriæ diffiſum robore dextræ,
Vſurum tenebris, & opertæ munere noctis
Credidit; atque omnem iuſſit vigilare ſub armis
Barbariem; murique alios vrgere ruinam
Iam facilem, longas àlios efferre catenas
Vincula Germanis olim ſepoſta lacertis.
Et, fuga ne cuiquam ſupereſſet, iuſſit apertos
Latius ire ſinus; atque expectare ruentem
Intra clauſtra feram, quò mox coeuntia clauſos
Cornua comprimerent; geminaque indagine cinctos
Hinc caperet Ciues; hinc miſſos ciuibus ægris
Auxilium ſocios; bellumque abſolueret omne.
Quanta ſed inſanas luſit fiducia mentes!
Ipſa minus puri, vel primi tempora ſolis
Odiſſet Virtus, nedùm fugiſſet ab vmbris.
Luce palàm res acta Viris; timuitque latere
Victor; & heſterni durarunt prodere martem
Inſtantem litui; vicinaque fata monere;
Singulus in ternum quamuis contenderet hoſtem
Auſtrius; & valli curſum compeſceret agger.
Ergo vbi damnatæ penitus ceſſere tenebræ;
Hinc vexilla Crucis, furibundæ hinc cornua Lunæ
Obuia cœperunt tremulas fluitare per auras.
Alter in alterius vires exercitus omnes
Fuderat occurſum; fatique aduenerat hora.
Hìc vbi SOBIESCVS, Regni cui ſplendor, & vltrò
Dextera Germanæ primas impenſa ſaluti
Detulerat partes, Ducibus circumdatus, alto
Ceſpite ſublimem ſe ſuſtulit, ore ſereno,
Nec fati dubio virtutem vocibus auxit
Talibus, & ſtimulos vicinis addidit auſis.
Cælicolis jurata manus, quos cæcus in arma
Haud furor exciuit, prædæue inſana Cupido,
Aſſuetumve nefas, læſi ſed Numinis ira
Legit in aduerſos, veræque opponere Phlegræ

Digitized by Google

Dignatur, votis en tandem venit anhelis
Lux optata diu: Supereſt Vrbs; cominus hoſtis
Tam cupidè quæſitus adeſt; nec prælia differt;
Illuxitque dies, qualem ſincera requirit
Laurea. Nil noſtris hucuſque intercidit orſis
Aduerſi; pulchris nec ſe ſors inſerit actis.
Non ego vos animis horter concurrere dignis
Delectu ſuperum: vis hoc, virtuſque requirit
Ingenita, & populis olim communis vtriſque
Gloria; ſed toto potius mihi pectore grater
Vobiſcum ſociaſſe manus: diademate parcè
Seposito, & ſumptis non hoc ſatis emimus armis.
Scilicet infirmis quid plus indulgeat Aether
Terrigenis, Diuùm quàm ſi det iura tueri?
Iſta dies illam, qua me Fortuna Polono
Donauit ſolio, commendat, & auget honore,
Ac pretio; quippe illa placet, quòd præſtitit iſtam;
Nec ius, quo ſceptrum, ſed quo venit enſis, amatur.
Credideram Regum non exoptabile fatum,
Fęcundumque malis, tantùmque ad dura repertum.
Parciùs ingreſſum quantus deceperat error!
Nempe ego ſi Regni caruiſſem ſorte, carerem
Hoc bello; aut alia non tantus parte locarer.
Conſcia deuotæ Virtus, atque arbitra mentis,
Tu me Diua tenes non inuidiſſe Tiaræ
Mygdoniæ, ſolio nec quo ſe Perſa leuauit.
Quin mea ſi noſtro componi fata liceret.
Pro libitu, penitus nec me ſibi poſceret vnus
Vnus amor Patriæ, Fideique, haud tempora vittis
Vincirem priuatus adhuc: de Regibus Illam
Suſpicimus, quæ ſceptra manu deponere certa
Perſtitit, Arcturi, nunc dos, & fama Quirini;
Quam tamen exuti nunc pulchrè pœnitet oſtri,
Quòd Dux ante mares hæc non pręcurrit ad arma.
Non hìc fortunæ locus eſt: hæc alea cedet,
Qualiſcumque cadat, nullis obnoxia damnis.

Tot

Digitized by Google

Tot cuneos inter Virtuti campus in arcto
Non erit? Excipiet Cœlum, quibus area Martis
Deficiet; Statuetque locum ſuper Herculis aſtrum,
Perſeaque, atque Helicon quotquot mutauit in ignes
Myſticus, & radijs illuſtria geſta rependit.
At non tam properè Cœlo donabimur: Orbi
Nos Deus indulget fido: vincemus, & hoſtes
Tot ſpatia implentes, paucos, facileſque queremur.
Quo tamen alterutræ concurrent milite Partes?
Illic Barbaries; illic erit impius error,
Fœdifragumque nefas, ſcelerumque examina mille;
Et quicquid Cœlum terris inimicat, & arcet.
Stabit in hac acie Legum veneranda poteſtas;
Virtutumque chorus, cultuſque, arteſque magiſtræ;
Stabit ODESCALCHVS, ſtabunt Pietaſque, Fideſque,
Relligio, & ſuperos quicquid ſeducit Olympo.
Robore perſpecto cui det Victoria palmam,
Qui dubitat; Diuos ſi non leuis abnegat, odit.
Tanta ſtrues equidem ſpoliorum, tanta manebunt
Præmia victorem; reſides ſatis inde citari
Vt poſſint mentes, & toto ſanguine niti
Congeriem in magnam. Quid? Quà patet Orbis amicus,
Intentos oculos in nos, & hiantia vota
Vndique conuerti? Quid? per tot ſæcula raptos
Regnorum titulos: omnique in gente trophæa
Erecta, vnius pretium feciſſe triumphi?
Pectoribus ſanis ſed ne ventoſa voluptas
Nominis irrepat; quoties interuenit Æther,
Terra procul iaceat; nec ſe grauis efferat vmbra:
Hoc nos teſte decet, nos hoc auctore vibrari,
Hoc hortante manus, hoc intendente coronas.
Luctor in ambiguo, vitam, mortemne præoptem:
Omnia commendant abitum; differre receſſus,
Sed duo me ſuadent, variàque à parte coercent.
Hinc amor; hinc odium cohibent. Cupit ille tueri
Laurigeros Fidei currus, terramque tenere,

Vt

Digitized by Google

Vt plenæ interſit pompæ: non ſecius iſtud
Flagitat extremæ Thracum ſupereſſe ruinæ
Incumbens, pulchrumque diù ſatiare furorem.
Sed placeat Tellus; &, qui vouet ocyus aſtra,
Vt vincat vincatur amor, nec pugnet habenis;
Altaque dilato ſuccreſcant pręmia Cœlo.
Abſtulit optati ſed quo me Martis imago
Hoſtibus inuiſis caſum remorata propinquum,
Sufficiet pleno quamuis breuis hora labori?
Ite per inſanas turbas, & vindice ferro
Et genus humanum, terraſque leuate pudendà
Colluuie; celerique moras abſoluite curſu.
Iam fati certis ſupereſt labor vnus: anhelas
Vincere ſpes hominum, dextraſque probare Tonanti
Selectu dignas; lauruſque merere ſecundas.
Verba perorantis nouus eſt extrema ſecutus
Frontis honos, & viſa ſacris ſepoſta redire
Vitta comis tremulo ſuper aſtitit aurea gyro
Dicenti. Elatis animas Gens vtraque dextris
Obtulit, & quaſſis ardorem prodidit haſtis.
Inde alacres properant, Vexillaque nota requirunt:
Exertantque manus, & vultus caſſide cælant.
Martia magnanimas iam buccina ciuerat iras
Iam diſcreturum volitarat teſſera ſignum;
Atque interjecti decreuerat area Campi.
Agmina ſed Thracum ſpatio diſtenta patenti
Nullus in aduerſos cum mitteret impetus hoſtes,
Non ſemel in ſæuos quamuis contenta vocaſſent
Claſſica congreſſus, valli trans clauſtra morantis
Auſtria ſe pubes, pubeſque Polona citauit
Intentas haſtas, gladioſque exerta coruſcas
Nec mora, per medios tonitrus, & mutua belli
Fulmina procurſu lentos inuecta Gelonos
Compoſito, ſubitis ſitientes cædibus ictus
Imbuit, & juſto laxauit fræna furori.

Digitized by Google

At Scytha protendens, monitus non immemor, agmen,
Longius inſenſis complexum flexibus ibat
Chriſtiadas; tantùmque fugam metuebat ab hoſte.
Non ſecùs intentus furto propè nubila curuum
Accipiter molitur iter, volucremque minorem
Ambit, & incautam redituris præterit alis.
Non ſucceſſuri ſed Biſtonas ilicet auſus
Pœnituit; nam, quanta cadit ſurgentibus hædis
Grando ſuper ſegetes, & ſpes intercipit anni,
Tanta laborantes tempeſtas horrida Martis
Perculit Odryſios, & ſtragibus obruit agros.
Durauere tamen: Sed iam temerarius ardor
Ceſſerat; atque vltrò, quem ſtultè incluſerat, ire
Oraſſet; redituſque viam monſtraſſet apertam.
Paſtor vt imbelles cui mos in retia damas
Cogere, vel rubrà ceruos comprendere pennà,
Si non ſperatæ turbauit Tigridis antrum
Sæuius incluſis acuentis fœtibus vngues,
Cominus eſſe dolet, prædamque euadere vellet
Heu nimiam; pulſatque alijs iam numina votis.
Dux Geta creſcenti iuxta tentoria cliuo
Conſtiterat; populoſque ſuos nec prendere viſu
ſufficiens, cæco mulcebat pectora ludo,
Quidquid turbarum cernebat credulus hoſti
Imponens, pulchrèque ratus procedere pugnam;
Strataque cornipedis vix ſcandere terga volucris
Ceſſabat clauſum iam iam ruiturus in Agmen:
Aſt alias fortuna vices, curſuſque parabat.
Nam cum vicinæ flammis furialibus vti
Non poſſent acies, & Mars foret omnis ad enſes;
Vera redit facies, fumi caligine demptà;
Seque redundanti pereuntem flumine vidit
Sanguinis, & totos implente cadauere Campos.
Ergo amens animi ſe per compendia ſolus,
Et pedes obripuit; preſſiſque inſignibus hoſtem

Di-

Diſtulit ignarum prædamque auertit inertem.
Iamque acies media funeſto in puluere fuſas
Cernere erat; laxis illos nutare maniplis:
Hos nec ſigna ſequi, ſociumque impingere verſus
Ordinibus volucres etiam timor impulit alas
Ire retrò, & ſolis pugnam mandare ſagittis,
Incertiſque procul committere glandibus ictus.
Iamque vnus pallor vultus mutauerat omnes;
Et tantùm patrià conſtabat Maurus ab vmbrà.
Iam ſudor larguſque cruor confecerat ægros;
Iam fuga iam ſtrages, iam præda incepta per agros,
Hoſpitaque inſuetæ rapiebant lina procellæ.
Arduus intereà rediuiua miles ab arce,
Vidit vt impulſos ſociorum Biſtonas armis,
(Mentibus indomitis tantus ſuperauerat ardor)
Agglomerat ſeſe portiſque erumpit apertis;
Peruertitque vices, & circumfunditur hoſti.
Inuiſaſque moras, laceramque vlciſcitur vrbem.
Territus hæc inter Regni dominator opaci
Mugijt; & ruptis bellum integrare tenebris
Monſtra iubet, totumque palàm ſe inferre Barathrum.
Cœperat horrendà condi caligine campus,
Nec iam ſtare ſolùm; ſtygijſque emiſſa lacertis
Sulphura, non hominum manibus vibrata tonabant.
Infecere diem, ſubitòque afflicta remitti
Agmina Chriſtiadum, nec ſat conſiſtere contra;
Cum noua lux oculos animoſque erexit anhelos.
Scilicet excuſſis inſtructus nubibus, Æther
Arſit in obſtantes; inimiciſque irruit vmbris.
Qualiter, illuuie Cœlum, terraſque profundà
Qui grauat, æſtiferi regnator turbidus axis
Auſter: in aduerſum Boreas ſi tendit ab Arcto
Arduus, & nitidis nigrantem flatibus vrget;
Contrahitur; tantumque ſuas ſparſurus arenas,
Deformes nebulas, fœdoſque recolligit imbres:

Digitized by Google

Talis erat ditis greſſum reuocantis imago.
Abſceſſere procul trepidè, gemitumque dedere
Lucifugæ; niueaſque nimis vouere cohortes
Cœlicolûm. Sed nil æquè tremuere profundæ
Noctis aues, leuà Cœli quàm parte Columbam
Plauſibus Auſtriacos lætis in bella vocantem.
Hac duce Sarmatiæ rapuit Rex inclytus hoſti
Vexillum, cui primus honos, Illique tenendum
Sepoſuit, Cui primus honos, & prima ſalutis
Gloria debetur ſuperis in Caſtra vocatis.
Tunc formidatam contentis viribus haſtam
Contorſit Michael, qualem ſuper aſtra ſupremam
Impulit in victos; totoque ejecit Olympo.
Corripuere fugam ſignis animiſque relictis:
Pars ſtygis exululans, Ponti pars ceſſit ad vndas,
Vtraque non vnas, vndas tamen vtraque nigras,
I, nunc lunigero confiſus Barbare Mundo
Sparge minas; animoque vora Germana tumenti,
Fœderis vltores gaudens contemnere Diuos;
Sed preme Conſilium, ne ſe paret excitus hoſtis
Ad pugnas, & turpe diù meditare duellum.
I, lege ceſſuros aditus; tempuſque nocendi.
I, tractus Italos, atque ipſam præcipe Romam;
Nec niſi captiuo Capitoli in vertice ſiſte.
Gentibus, & cæcis; quo promptius arma capeſſant,
Lymphatæque ruant; dic proluiſſe Cometas
Ignibus Iſmarijs; Vrbis dic Principis aulam
Fulmine correptam dubià nutaſſe ruinà,
Telaque Sithonij vix expectaſſe Tonantis.
Et, ſeptemgeminas ſi non deleuerit arces
Flamma, nec horrificis vires permiſerit alis,
Reſpexiſſe Getas, non ignouiſſe Latinis.
Scilicet emeritis ſeruari præmia dextris;
Auſa nec Iſmarias haurire incendia prædas.
Intereà ſpolij ceù iam ſecurus optimi,

Con-

Congere, luxuries quicquid diſtenta requirit.
Errantes compone domos, & linea tecta
Tende; nec obſeſſis moles extolle minores;
Penſilibuſque tholis viuos ſuſpende labores,
Quos Babylonis acus ſubtexto finxit in oſtro.
Profer opes raptas; rigidiſque tapetibus omne
Sterne ſolum; nulluſque alto vacet angulus auro.
Tantaque Barbarici creſcat fiducia luxus,
Pruriat vt ſcenis laſciua licentia pictis.
O lætas, pulchraſque vices! quatit Auſtrius haſtas
Ecce tuas, auctuſque tuis in bella ſagittis
Acrius effuſis inſtat, cornuque minatur.
Cerne ſolo ſparſas ipſis ludibria lixis,
Calcibus obtritas turpeſque in ſanguine Caudas,
Palladium ſcythici Caudas, fatumque Tyranni.
Cerne renidentes ſpolijs lunaribus hoſtes:
Cerne jubas alias, & non de more comantes
Ductorum galeas, Araboſque ad fræna iugales.
Cerne laborantes Gazæ ſub pondère turbas:
Exuuijs creuere tuis. Huc lumina verte,
Huc potius; viſuque truci defige Viennam,
Et ſaturent longum ſpectacula digna furorem:
Ecce catenatum ſubigit labor improbus agmen
Biſtonidùm planare ſolum merſoſque molares
Tollere, & impuro purgare cadauere foſſas.
Sic refici, ſic nempe decet; manibuſque tuorum
Euerſas turres, & fracta reponere tecta.
Quotquot in Aſsyrijs Mauors tibi legerat oris.
Quotquot ab exuſtis libye tibi miſerat aruis;
Quos Hebrus, Tanaiſque rigens; quos plurimus Iſter,
Quos niger Euxinus, rubræ quos vexerat vnda
Doridos, & medium tam multi nominis æquor;
Hos ſimul vna dies obſeſsæ à mœnibus Vrbis
Arcuit; vna dies ſignis, bellique paratu
Exuit; vna dies caſtris, atque aggere Valli

Expulit; vna dies (jam victos excipe tantùm
Quos fuga lymphatos, & felix abſtulit error)
Hos vel turpe jugum, fatumue ſubire coegit.
Qui ſuperes, compeſce fugam: moderantius vrge
Effuſas acies ſparſaſque recollige turmas.
Cogere relliquias, conciſaque terga mederi
Vltrò damus. Syluas tranſmitte, & flumina trana:
Oppida fida ſubi, tutiſque includere muris;
Tela noua; & fractas repara in certamina vires:
Poſcimus hoc ipſi, rurſum quo pabula noſtris
Enſibus inſtaures, & creſcat plurima laurus.
Vna ſalus victo; nobis ciuile reſumi,
Fraternumque nefas. Hyemis vis tota propinquæ
Non ſat ab infeſtis latitantem proteget armis;
Nec tua te Virtus, ſed crimina noſtra tueri
Iam poterunt. Martis viuit ſi vena paterni
Vlla tibi; noſtro pudeat debere furori
Effugium; potiuſque tuis confide lacertis.
Tu tamen aſſuetus lucrari vulnera partis
Turpiter aduerſæ, reſidemque tumeſcere largo
Sanguine Chriſtiadùm, cladis ſolatia magnæ
Hinc leuis expectas, atque hoſtibus hoſte minaris.
At ſcelus hoc iterum prohibebit cura Parentis
Romulei, mediumque Caput reuerebitur omnis
Purpura; & inſanos auſus ſubmittet Enyo.
Certa fides: Illi iuratus militat Æther,
Sacraque ſidereæ properant ad ſigna Cohortes
Qui mouit ſuperos, an non humana mouebit
Pectora, & addictas conjunget fœdere dextras?
Te tua ſpes fallit: iam iam ſociatus Ibero,
Cum tu rere minus (nam poſt præludia belli
Cruda renaſcentis reduces Pax exeret alas
Noſtraque non refugo mulcebit regna ſereno)
Gallicus Alcides Robur fatale Tyrannis
Tollet; & in ſcythico ſolitæ fluitare cruore

In-

Intendent Venetæ victricia carbaſa puppes.
Sed quis non, crudele decus Fratrumque cruentas
Reſpuat exuuias; funeſtaque tela recondat;
Iacturamque vocet, quidquid decreſcit amicis?
Quòd, ſi per vetitas iterum furor impius iras
Contendet, verſuſque Poli vexilla relinquet,
Et tibi ſufficient, & deſertricibus armis
Arma Iouis; geminumque dabunt duo bella Triumphum.
Scilicet Omnipotens hominum non indiget Æther
Viribus; &, noſtris vti ſi quando lacertis
Dignatur ſocios feſſus non aduocat enſes;
Inde ſed excitæ gaudet decus addere parti;
Et ſua dilectis donare trophæa cateruis.
Sic Leo ſollicitat, cùm deſtinat ira Iuuencos;
In pugnam Catulos: ipſi labor omnis, & omnis
Cura laceſſitos in prælia frangere tauros;
Strata ſuperuacui lucrantur corpora nati.
Intereà Medij pereant ne tempora belli
Et noſtris recreere malis, quibus anxia lactant
Pectora ſe fruſtrà, fines perrumpimus imæ
Pannoniæ; caulaſque tibi, latebraſque negamus.
Vix Aquilæ ſubeunt, & iam reſerata recepit
Arx non vna iugum, nec victa, aut dedita cedunt
Oppida nota parùm, primi ſed nominis Vrbes:
Altera nam clades auſum conuertere ſigna
Disjecit: pars fuſa jacet; pars voluitur vndis.
Pars iterum plectenda fugit; pars vincula iactat.
En tua Strigonium neſcit iam fræna; Poloque
Luſtrari gaudet, ſacroſque reſumere cultus.
Quo Dux magne fugis? Non hac ſtat, parte Vienna:
Flecte iter; en portis reditus inuitat apertis.
Quò laceros artus, inhumataque membra relinquis
Pabula vulturibus, longùmque futura per æuum
Oſſibus incuſſo nudis luctamen aratro?
Non arces trepido tutæ non luſtra ſuperſunt;

Non te luce quies, non te manet vlla per vmbras.
Nam, ſi quando trucem compeſcet Buccina cantum,
Igneaque horrificum ſuſpendent æra fragorem,
Turbida vix poſitum fœdæ ſubuertet imago
Cladis; & objectos animo vigilabis ad enſes;
Quò non fatalem nactus, paſſuſque Viennam?
Ne tamen hanc timeas, nec de tot millibus vllum
Formides gladium. Non te dignata Virorum
Funere belligerùm medijs Mors auferet armis:
Ne dubita; magnum nulli ſtatuere trophæum.
Scilicet ignauo franget damnata ſatelles
Guttura: cognatis debes ludibria turbis;
Et cum pollutis numerabere degener vmbris.
Te quoque; quem monſtris addit natura cruentis
Trux Scytha, cui raptus cordi, flammæque voraces,
Nocturnuſque furor; non cuſtodita colonis
Qui per culta ruis, ſtabilem nil auſus in hoſtem;
Te quoque depoſcunt vicina piacula: turpi
Non dudum furto lætabere: Taurica fruſtrà
Te clauſtra expectant, ferroque exciſa recurſus
Incuſant lentos. Spolijs ditabitur alter,
Teque ſuper, noſtris; & prædo præda redibit.
Non ſatis hoc armis vltricibus; ibimus vltra;
Et nos Byzantj trepidabunt cominus arces.
Nec dabit hos animos fraus conjurata priorem
In Dominum; dudumque fugam meditata rebellem;
Sed robur vis falsa ſuum; ſed conſcia Virtus;
Et non polluto confiſus milite Mauors.
Vos modo Cœlicolum Proceres vrgete fauorem,
Lenta nec attonitos patiatur dextra Gelonos
Surgere: quod reſtat, minus eſt: pars plurima belli
Acta, Viri; exuuiæ reſerataque regna ſuperſunt.
Obruat immenſá quamuis ſtrue. Turca nouales
Auſtriacas, altiſque iacens tegat oſſibus arua,
Pars quota ſithoniæ campis apparet in illis

Cla-

Cladis? In Imperij penetrauit viſcera vulnus;
Vitaleſque ſinus enſis peruaſit adactus.
Iam Moſchus, iam Perſa ruent; & limite rupto
Thracia dilatos paſcent in Regna furores.
Dacia conſurget; multuſque binominis Iſtri
Accola degeneris reſcindet vincla catenæ;
Oblitoſque animos, & perdita iura reſumet.
Ipſa caput rerum iam iam nutare videtur
Aula mihi; ſceptrumque aliò transferre Tyranni,
Auſpicijſque nouis parcentia querere fata:
Fata ſed auerſo quo quærat proſpera Cœlo?
Quidquid in Odryſijs poſt hac turbabitur oris,
Hinc venit: internos victrix ciet Auſtria motus;
Exteraque in Geticas impellit bella ruinas.
Iam vires, iam nomen abit; iam truncus inanis
Inclinat; ramiſque fugit pereuntibus vmbra.
Illum indignantem, confixaque terga fouentem
Exuit Imperio pelagi ſua littora circùm
Marcius, & ſummas, Leo, radere iuſſit arenas.
Nam, quoties Martem voluit tentare per vndas,
Adriaco toties iacuit mulctatus ab hoſte.
Seſta cadaueribus ſuper obruta Tethys anhelos
Non ſatis explicuit fluctus; ſtragemque per altam
Sordida carbaſeos concreſcere vidit amictus,
Cœrulaque Iſmario turgeſcere Regna cruore.
Ite Duces, vrgete Feram: mora nulla ruentem
Auferat: Ite: ſolum perdet; iam perdidit æquor.
Sed mora quid ſegnis; diuerſaque pectora Cœlo,
Quid poterunt? Cunctante ſolo, cum iuſſerit Æther,
Prælia conſurgent: & clangent claſſica pugnas.
Gentibus inuitis, & detrectantibus arma,
Ad Iouis imperium ſanguis præſtandus, & iræ.
Nec fidit numero, nec magnà in mole ſuperbit;
Sat ſe perpenſo nam Paſtor ſufficit vnus.
Bella placent ſuperis; ſuperum cognata Poteſtas

Bella

Bella probat; Tellus fruſtrà reſoluta iacebit.
Non ſatis eſt populos ceſſare enſeſque tenere:
Rumpent fata moras; mediàque in pace repente
Gliſcet opus ferri; lituique tubæque ſonabunt;
Sponteque belligeri ſe vertent limina Iani.
Non vacat Imperij nobis irrumpere fines
Edòni, atque olim meritas expoſcere pœnas?
At Thrax ipſe ruet declinanteſque laceſcet
Chriſticolas; inque arma furens ſe mittet, & vltrò
Enſibus impinget; fatalemque induet haſtam.
Nil agis humanæ pugnax ſolertia mentis:
Nil agis in ciues dextram conuerſa rebellem
Seditio: tumido Geminus nil conferet hoſti
Proditor, & ſpatio ſummotus Sarmata longo.
Diſſidium, corrupta fides diſtantia primum
Ingenium vertent; & nos congeſta iuuabunt.
Pugnat ODESCALCHO Cœlum, diràque malorum
Congerie pulchrè fruitur; iurataque tela
Vertit in auctores, inque hoſtes vtitur hoſte.
Numen, ODESCALCHVM quod dura in tempora mundo
Diſtulit, hoc pariter ſumma in diſcrima certam
Maturauit opem; lentàque citàque viciſſim
Temperie ſubijt, genteſque redemit amicas.
Profuit in Ciues lectas habuiſſe Phalanges;
Ne circumuentis diſpendia longa nocerent.
Profuit infidas ſe ſubduxiſſe cateruas;
Latiùs in vitium ne pars affinis abiret.
Nam, quòd diffuſo ſubmota Polonia tractu
Longius haud fuerit, ſat tempeſtiua loquunter
Auxilia, & Scythicæ prorſus matura ruinæ.
Iuſta per hos caſus iterum ſe prælia mittent.
Nec, quos aſſeruit, mutatus deſeret Æther;
Ætheris aſſertus partes ni deſerat Orbis.

Hactenus Vranie, diras dum verberat aures
Inuidiæ, Diuùmque, modò, modo Cæſaris armis

Se

Se dat; & alternas profert, atque induit iras
At, fati iam certa ſui dum Roma Triumphum
Inſtruit ingentem; perque omnia compita vulgus
Exultat, lætoque furens quatit aſtra tumultu;
Nos, quibus Aonios jus eſt intrare receſſus;
Hùcque vnus conciuit amor, ſtudiumque locuſque:
Quam tibi Sarmatiæ magnis decus addite Regnis;
Quem ſolio Virtus, & dextra inuicta locauit,
Non fauor, &, largo qui præualet, ambitus, auro;
Gloria de cunctis, quem legit Regibus vnum,
Cui ſua defenſus deberi vellet Olympus
Iura, nec immenſæ partiri præmia laudis;
Quam Tibi Pierià nectemus fronde coronam?
Quam Tibi, Magnanimi qui per veſtigia Patris
Ponè ſubis; virideſque nouis virtutibus annos
Imbuis, Aſyrijs iam formidate colonis?
Quam LOTARINGIE Tibi ſolymis venerabile nomen,
Præſidiumque: olim venturum; cui furor omnis
Incubuit dudum belli mox vltima primus
Prælia tentaſti molimine victor in omni?
Quæ tibi ſerta legat, quo mittat Phębus in æuum
Carmine, Bauariæ quem ditia ſceptra verentur,
Impubes quamuis per ſumma pericula durum
Orſe, rudimentum ludumque ingreſſe cruentum,
Cum noua Maieſtas translataque ſumma paterni
Imperij tenerum percelleret irrita pectus;
Et quem tanta Virum tunc non tenuiſſet Imago?
Munere quo mentem dextramque addicta rependet
Cyrrha Tibi, Regum ſanguis, quo Saxones aſtra
Contingunt meritis, & ſe circumſpicit Albis;
Præcipuumque operum Victoria tanta fatetur?
Quem te Fama canet, columen Stramberge Viennæ?
Vel te qui titulos auges Caprara vetuſtos
Fertilis Emiliæ, proauitaque geſta reponis?
Innumerique alij, quos otia lenta peroſos

Glo-

Digitized by Google

Gloria conciuit, pulchroſque allegit in auſus?
Vos decus æternum nullas non ſparget in oras:
Vos cultæ latè gentes; omniſque loquetur
Pagina: Vos Fidei, Libertatiſque canemus
Heroas; Regeſque ſuper mittemus in aſtra.
Hæc quota pars laudum? merito par illa ſuperbo
Robur ODESCALCHO vouiſſe, atque auſpice tanto
Cæſareas iuuiſſe acies, ſociaſque Tonanti
Exeruiſſe manus, & disjeciſſe rebelles;
Nec iam ſollicitis æquari poſſe Camænis.
Si labor eſt ingens, & noſtris viribus impar
Reſpondere Ducum meritis; quis carmine laudes
Delibare tuas, ne dum tractare valebit
O nimium dilecte Deo, Terræque labantis
Prima ſalus, niueique Gregis tutela decuſque?
Ne tamen audacis conamina deſpice Pindi;
Et nobis tam læta dies impune corollis
Det ſacras donare comas, & tollere pæan.
Sit ſat Apollineas tenuiſse hucuſque ſorores;
Sit ſatis ingenijs vetuiſse hucuſque diſertis
Te colere, & ſaltem de tot virtutibus vnam,
Secla quibus reparas, & credita ſceptra perornas,
Sumere, & ingenti quæſiſse à nomine nomen;
Profuerat quando manifeſto in lumine tendi
Prorſus, & allectos ad pręmia pulchra citari
Terrarum dominos, & par in nomen ituros.
Sed placet Vmbra tibi; tantûmque eſt cura probari
Cœlicolis. Lateat Virtus, & Roma pudorem
Hunc ferat. An reliquæ mandata Silentia gentes,
Deuinctuſque Polus, Telluſque aſserta tenebunt?
Omnia cum poſſis, hoc poni poſse negamus.
Debet ODESCALCHVS terris exempla redemptis
Duratura diù populiſque incognita nullis.
Laudari prohibes? Hoc te cauiſse loquetur
Orbis; & innumeris creſcent hinc pabula linguis.

Ha-

Hactenus, vt libuit, duras ſed clauſeris aures:
Non tamen in præſens fas eſt compeſcere Famam;
Parce queri: fruſtra (liceat dixiſse) repugnas
Numinibus; nimiumque tuis obtenderis aſtris.
Non tua res agitur: Superi ſua iura tuentur;
Nec pugnata tibi patiuntur bella latere.
Scilicet id præſtant, vt fidat terra Tonanti;
Sitque palàm, iuſtis impendi Fulmina votis.
Nam, tua quòd penitus neſcis in commoda Regnum,
Non canit, & tantùm ſuperùm cognatus haberis;
Et Pudor, & Pietas quamuis tam certa Nepotem
Diſcernant nullis, vt ſit dubitabile germen;
Magnus & haud ſolo reddatur Patruus ore.
Luſtratos mores, vetitumque erumpere luxum;
Sumptibus æquatos cenſus, latebraſque negatas
Sontibus, & vacuo plenam de Principe Romam
Præterit, & glebæ ieiunia victa malignæ.
Nec memorat, quo vena Tibi ſuffecerit auri
Ingenio, Ducibus neruos, animoſque datura
Exhauſtis, nullas populi quæſita gementis
Per lacrymas, penitus cùm te iam crederet Aula
Defectum: pretio, nec gratia fertilis vllo
Poſset emi; rigidique tenor conſtaret honeſti:
Sed tibi iuratos, ſacra in certamina Diuos
Edocet, atque armis fuſos ſocialibus hoſtes
Communes. En ſigna iacent Maumethia ſacros
Ante pedes, caſuſque ſuos captiua queruntur;
Nec quiſquam Vexilla Tholis ſuſpenſa tuetur,
Quem tua non pariter mortali major Imago
Impleat, & ſacro Frontis non irriget auro.
En ſociæ partes à te traxiſse fatentur
Robur, & ingentes exhauſta in prælia vires:
Victoremque vocat, ſeruatoremque redemptus
Orbis, & elatum ſolio ſubmiſsus adorat.
Nemo Ducum ſupereſt, cuius ſtet laurea fronti

Qui

Digitized by Google

Qui tibi non titulos, & parta trophæa referre
Gaudeat; & pluris ducat Te præſide fortes
Armauiſſe manus; ſeque objeciſſe periclis;
Quàm tibi ſpumantis fluuios tribuiſſe cruoris
Eoamque fugam, prædęque minantis aceruos.
Hic honor, hæc viuos merces: majora peremptos
Præmia diſtinguunt melioraque fata ſequuntur.
Hos tua nàm Pietas cumulatos laudibus altis,
Emeritumque decus certæ Virtutis adeptos
Inter odoratos Mirrhæ, Thuriſque vapores,
Lætanteſque modos, & nil lugubre ſonantes
Exerit; & patrio Ciues tranſmittit Olympo.
Exclamare decet: quis te Duce bella recuſet
Dura pati, ſæuoque graues in Marte labores?
Si vel cum pleno feſtinat adorea plauſu
Victori: vel tanta venit citò lumine caſſis
Gloria, nec dubijs ſors iam reditura ſub armis,
Præſtet vt horrentis cecidiſſe in puluere campi;
Atque ibi perpetuus, non hìc mortalis haberi?
Hoc feret indictum; meritumque immane ſilebit
Grex tuus; & tacitis tot nomina linquet in Vmbris?
Secula non tantùm te noſtra, ætaſque ſuperſtes
Æternum tollent benefactaque laude rependent;
Natorum ſed turba ſequens, ſerique Nepotes
In tua ſeruatos tranſcribent geſta Penates,
Aſſertoſque toros, intactaque buſta parentum.
Rebus in ambiguis quin ſi fortuna redibit
Aſpera, & audebunt iterum ſe cornua Lunæ
Tollere, non aliud poſcet præſentius Orbis
Anxius auxilium, quàm Te tutore iuuari;
Et tibi propenſum debere in bella Tonantem.
Intereà raris onerabimus Æthera votis,
Et prece non fusà Diuùm pulſabimus aures:
Et ſpes, & dubios poſthac numerare timores
Parcemus ſuperis; tantumque orabimus omnes

Sta-

Stamen ODESCALCHO Pyliæ transpenſa ſenectæ:
Hæc ſatis ad Mundi manſuram cura ſalutem.
Perferet Ille preces, inconſultoſque rogatus
Corriget, & proprium, quicquid contendet, habebit;
Atque iterum Palmas iterumque Trophæa reponet.
At non iſta Tibi merces quæſita laboris
Suſcepti. Sordent ſuperos atque aſtra ſecuto
Terrarum plauſus perituraque pompa Triumphi.
Te rapit Aula Poli, penitus te vindicat Æther,
Partirique negat. Laurus ibi fronde beatà
Perpetuo cingent radiantia tempora ſerto;
Diſtinguetque tuam meritiſſima palma Tiaram.
Ne tamen Æthereas properes conſcendere ſedes,
Quamuis aſtra ſuper nunquam deuota tueri
Regna ſines, proniſque aures aduertere turbis.
Integra ſupremam teneat Victora metam;
Et quæ fœdifragi concuſſit fata Tyranni,
Inſtet; & Iſmarias abſoluat Dextra ruinas.

Digitized by Google

TECA NAZ
OMA
EMANUELE

Digitized by Google